

50 DE VIPERÆ NATURA

pellendas omnes materias venenosas
& ipsa venena, carnem habere mirificam
facultatem, tūm ex propria ipsius
viperæ natura, tūm ex peculiari sui
alimenti usu continuo.

DE VIPERÆ COITU, ET
partu, & an cum aliis misceatur,
principiū cum Mu-
rana.

CAP. IX.



ERPENTES OMNES complexu adeò circumvolutæ coeunt, ut una existimari biceps pos sit, ut ex Aristotele tradit Plin. lib. 10.

cap. 62. Uteri osculum in quod semen à mare immittitur per pénem in postrema ferè caudæ parte residet, ubi

bi vulva biceps, vel duplex, ex orifi-
ciis & lectionibus, dignoscitur, ex
nostra pictura. Testatur idem Ari-
stoteles, cui assentit Plinius lib. II.
cap. 37. hæc vulva viperæ, & intra se
parientibus duplex, seu bifida ut ver-
bis utar Rondoletii. De testibus va-
ria scribit Aristoteles. Libro 4. de
partibus animalium, sic inquit: nullus
piscium, nec intus, nec foris testes
habet, neque animalium pedibus ca-
rentium ullum, neque serpentes. I-
dem quoque prius libro 3. capit. I.
dixerat, cuius sententia veritatem,
seccio anatomica, & inspectio redar-
guit. Delphines inter pisces oblon-
gos habent, id quod alibi sui oblitus
Aristoteles affirmat. Vituli etiam
Marini testes habent, & penem Balæ-
næ. Vipereum marem testes habere,
& penem ex inspectione innotescit.
Tubero etiam Indici maris piscis ge-
nitale membrum duplex habet, seu
foemina vulva bifida. Serpentes re-
tinere pulmones testatur Aristote-

*Rond.**lib. 16.**cap. 16.**de pisc.*

Libr. 3. les. Penem verò habent, quæ respic-
cap. 22. tant, quibusque sunt testes. Penem
igitur esse in mari viperæ ex sectio-
ne facilè apparebit. Non igitur ve-
rum est, Viperam caput maris abscin-
dere, neque per os genitaram immit-
ti, uti plures ex gravissimis scriptori-
bus tradiderunt.

Plin. lib. 10. Duplex autem par-
cap. 62. tus Viperæ contingit, unus naturalis,
Auctor cum catuli Viperini obvoluti mem-
ad Pif. branis exeunt uterum, ovumque


videtur, sed statim extra uterum, membranas frangunt abrumpunt-
que, & mox foras exeunt omnes pri-
ma die, non triduo, ut Aristoteles
velle videtur, triduo verò ab exitu
membranæ abruptæ mundari, & ute-
rinam pelliculam abjicere certissi-
mum est, & unicuique ex inspectio-
ne, ita esse apparebit.

*Mun-
darilla
vulgo.* Sed involu-
crum, quod secundam in mulieribus
vocabus, quandoque in utero perfo-
rant, & simul exeunt singulatimq; pa-
riunt Viperæ, sed eadem die, non die-
bus viginti, ut male vertit Plinius, &
eius

ejus simiolus Theodorus Gaza. Ego
observavi. Sed forsitan dicendi for-
mula, ita enunciavit numerum fœtus,
ut quandoque 20. & quandoque vi-
gintiquinque pariat catulos. Tem-
pus una dies, quasi singulis diebus
singulos usque ad viginti vel plures.
Modus jam dictus est naturalis, vi-
delicet catuli obvoluti, & veluti o-
va exeunt, non contexta, vel catena-
ta, ut reliquæ serpentes, sed singula
seorsum. Verba Aristotelis græca:
τίκτε ἀντὶ ἐν μίᾳ ἡμέρᾳ κατὰ τὸν
ut verbo reddam, parit una die, sin-
gulatim unum post alterum modico
interposito spatio, non more reli-
quorum serpentum, quæ confertim,
& contexta ova pariunt, Sed hæc
verba Plinius alio modo cum Thco-
doro Gaza interpretatus est, quām
ipsa sit rei natura, aut verborum sen-
sus præ se ferat. Viperas cum ma-
ribus complexas natura coire, sicut
reliqua serpentum genera, deinde
parere, admisit Aristoteles, cui Pli-

nus libro 10. capit. 62. consentit. Archelaus, Nicandri Scholiaastes, Basilius Cæsariensis, Oppianus poëta Græcus, Dioscorides, omnes existimarunt, marem Viperæ cum Muræna coire, quamquam hunc coitum in hieroglyphicis litoris Horus Apollo, & Ælianuſ confirmare videntur. Athenæus ex Andrea hanc ipsam opinionem pauci deſtruit. Plinius quoque de Murenis loquens ſic ſcribit: In ſiccum littus prolapsas Murænas vulgus coitu ſerpentum impleri putat. Hoc quoque deridet Andreas, marem Viperæ ad littora præcurrere. Sed verè Murænam in ſiccо prorepere, teſtatur etiam Theophrastus libro de Piscibus. Aristoteles vero libro 5. de Animalibus, differentiam Murenæ & Myri max. ponit, unde occaſionem fabulæ dederunt Myri; Muræna cum ſerpentibus, tanta cadit ſimilitudo, ut qui Myruin Muræna copulatum viderint. Viperæ marem eſſe crediderunt ob id quoque ma-

magis, cùm serpentum in morem, corpora permisceant & complectantur. Rondoletius plura observavit libr. 14. cap. 6. ut quandoque colligam, marcin Viperæ cum compare solùm coitu uti, nec alio complexu oblectari, ut diligenter hucusque observatum fuit, dum variis generibus mixti serpentes in cretaceis doliosis retinentur inclusi.



QUOD NON SIT VERUM

Viperam Semel tantum parere, sed
pluries, & inde effætam
reddi.

CAP. X.

ANTIGONUS numero 25. nūnquam bis parere asseruit; foetus enim uterum peredit; de mirabi-